

De Luciano philosopho.¹⁾

Luciani tempore et deorum cultus delabebatur et christianismus corroborari incipiebat. Quid in hac rerum mutatione Lucianus senserit eruere operae pretium mihi videtur, quia vir erat ingenii sagacitate et iudicandi severitate praeclarus, neque paganismi erroribus additus, neque christianismi veritati credens.

Kraus dicit:²⁾ „Die durch den Neupythagoraeismus versuchte Neubelebung des Heidenthums hatte ebensowenig Erfolg, als die Restauration der alten Mysterien. Grössere Bedeutung hatte die mehr auf dem Boden des philosophischen Unglaubens sich bewegende Anfeindung des Christenthums durch Männer wie Celsus und Lucian von Samosata, die bald mit Argumenten, bald mit den Waffen des Spottes kämpften. Lucian, dem Epicuraeer, wohl einem Freunde des Celsus, war der heidnische Götterglaube wie der Christenglaube gleich abgeschmackt und lächerlich. Er parodirt Christum in seinem Peregrinus und verspottet den Andrang zum Martyrium und die Gottes- und Nächstenliebe der Gläubigen. (Vergleiche A. Planck, Studien u. Kritiken 1851, IV. Jacol, Charakter Lucians, Hamburg 1832.)“

Similiter indicat Rohrbacher, qui dicit:³⁾ „Le philosophe Lucien raillait tout ensemble, et les chrétiens, et les philosophes, et les dieux du paganisme. Mais ce qu'il dit de plus fort sur les premiers se borne à une tournure plaisante donnée à leur doctrine et à leur charité, comme on pouvait l'attendre d'un païen spirituel qui ne voulait que rire“. (Hoc loco addit nonnulla exempla ex Luciani Philop. et Pseudom.) „La victoire sur les Perses, la prise de Suse et la circonstance d'un chrétien instruit par saint Paul marquent incontestablement la guerre de Trajan contre les Perses ou les Parthes“. (Traianus obiit 117 p. Chr. n.) „A travers les plaisanteries de l'auteur, on voit qu'il avait une connaissance exacte de la doctrine chrétienne. Quant aux moeurs des chrétiens, il nous les montre dans sa Mort de Pérégrin, extrêmement charitables les uns envers les autres, n'épargnant rien pour assister ceux qui étaient dans les prisons, méprisant tout, et leurs biens et leurs vies, pour celui qui avait été crucifié dans la Palestine et qu'ils adoraient comme un Dieu. — Quant à ce qui est des philosophes, Lucien nous en fait un tableau bien différent“.

¹⁾ Ad has schedulas conscribendas editione usus sum egregia illa Bipontina, anno 1789 typis impressa, cuius versionem latinam secutus sum, ubi sententiarum dictio optima mihi esse videbatur.

²⁾ Lehrbuch der Kirchengeschichte 1, 63 und 64.

³⁾ Histoire universelle de l'Eglise catholique. livre 27, 100—197.

Dissertatio autem nostra initium capiat investigando, quid Lucianus dixerit de semet ipso. Se ipsum laudat dicens¹⁾ se odisse superbiam et praestigias et mendacia et tumorem inanem; sibi infestissimum esse omne istud genus impurorum hominum. Lucianus ergo se ab omnibus illis vitiis liberum esse existimavit. Quamquam magni eum fuisse ingenii iam satis inter omnes constat, tamen ex magna auctorum turba verba Iselini haec proferantur:²⁾ Fuit summi vir ingenii atque eruditionis, sed nulli religioni addictus ac scurra christianae ethnicaeque doctrinae.

Quid senserit generatim de rebus divinis paganorum, eos, de qui ipso scripserunt, minime latere potuit. Suidas³⁾ narrat Lucianum Samosatensem, cognomento blasphemum, sive maledicum, aut atheum potius appellatum esse eo, quod in dialogis suis ridicula etiam illa esse proponat, quae de rebus divinis et sacris tradita sint. Zvingerus⁴⁾ Lucianum religionem omnem, tum christianam, tum ethnicam ludibrio habuisse dicit. Bourdelotius,⁵⁾ qui Lucianum summis effert laudibus, breviter exponens et explicans rationem dialogorum eius, dum alii, inquit, poetarum carmina vaniloquamque theologiam praedicant, non solum homines in densissimas tenebras iniiciunt, verum deos deorumque principem Iovem; inepta etiam et nugax est de fato persuasio, quale scilicet plebecula poetarum fabulis decepta effingit sibi; dei etiam huic fato subiiciuntur; Lucianum contra ista mendacia refutare sagacitate rationis indicans. Tillemontius ait:⁶⁾ Ille Lucianus et hodie perceleber est scriptis suis, quae ob linguae graecae puritatem stilumque politum, iucundum, vividum et acuminis plenum magna cum voluptate leguntur. Sed palam profitetur impietatem, aequae subsannans veram religionem, de qua diversis in locis loquitur, ac superstitiones ethnicorum, quas vere ridiculas esse demonstrat. Inde cognomen blasphemum et athei traxit. Namque et philosophiam Epicuri sectabatur ab atheismo parum distantem, vel potius neque ulli religioni addictus fuit, neque dogma certum et constans fovit, omnia vero ut incerta ac problematica considerans et omnia ridere volens. Petri Baylii de Luciano sententia haec est:⁷⁾ Patres ecclesiae, qui omnia ridicula falsorum deorum exposuere, omnino sunt laudandi; id enim egere, ut ethnicis oculos aperirent fidelesque confirmarent. Non ignorabant se contemptum cultus ethnici inspirando efficere, ut credentes fortius verae fidei adhaererent, simulque bona arma christianis contra persecutionis impetum subministrare. Sed Lucianus, qui adeo subsannavit falsos ethnicorum deos omnique iucunditate perfudit descriptionem ineptiarum et fraudum, quibus Graecorum religio abundabat, non ideo minus detestatione dignus est; quandoquidem id non agens utili consilio nil aliud quaesivit, quam ut ad deridendum nato suo satisfaceret ingenio et ut liberum evagandi campum aperiret satyrico suo stilo, et quia se aequae indifferentem vel aequae aversum a veritate praebet quam a mendacio. Eunapius testatur⁸⁾ Lucianum nullam religionem amplexum esse aut certe nulli satis favisse.

Hoogstratanus idem fere iudicium, quod illa supra dicta fert de Luciano, dicens⁹⁾ eum non solum ex maximis sui aevi ingeniis fuisse sed et omnis antiquitatis. In operibus suis eum utile cum dulci miscere scivisse, erudire simul ac deridere doctrinamque cum eloquentia coniungere, perpetuumque in eius scriptis esse iocum contra theologiam ethnicorum deorum vitamque ac mores philosophorum. Attamen Hoogstratanus Lucianum libros, qui inscribuntur „Philopatris“ et „Peregrinus“, in quibus auctor praecipue in Christianismum invehitur, scripsisse negat et deinde pergit illos, qui Lucianum sine religione fuisse contenderent,

1) Piscator vel Reviscentes, c. 20.

2) in Lex. univers. historico-geographico. Sed hoc et alia testimonia proferens Reitzium sequor in praefat. Bipont.

3) vid. Reitz. praef. pag. 4. 4) pag. 16. 5) pag. 19. 6) pag. 32. 7) pag. 31. 8) pag. 34. 9) pag. 38.

recte iudicasse, si theologiam poetarum ethnicorum religionis nomine intellexerent; nunquam autem Lucianum neque existentiam nec cultum veri Dei impugnasse. Sibi, ait¹⁾ Reitzius, Lucianum iam diu suspectum fuisse atheismi, tum ex caractere lasciviae, tum ex nimio omnia ridendi studio, tum quod et animorum immortalitatem rideret.

Sed tempus mihi videtur esse investigandi ex ipsius Luciani scriptis, quid de diis deque rebus divinis senserit. In dialogo „Iupiter confutatus“ non inepte gentilium errores confutat. Quo in dialogo Iupiter a Cynisco quodam interrogatur,²⁾ num ea vera sint, quae Homerus et Hesiodus de fato et Parcis cecinerint, neminem evitare posse, quae illae Parcae ipsi neverint? Iupiter, cum ita esse affirmat, a Cynisco porro interrogatur, utrum et dii ipsi sub illarum potestate sint necne. Iterum affirmat pater deorum. Sed vanum esse, Cyniscus deinde pergit, de Iovis et ceterorum deorum potestate loqui, cum potestas illa revera nulla sit, vanumque esse sacrificia offerre et hostias immolare diis, qui neque mala depellere, neque bona impertiri valeant. Ad quae Iupiter sophistas esse respondet, sophistas sacerrios, ex quibus Cyniscus argutas illas interrogationes traxerit, sophistas, qui etiam negent deos providere hominibus, quique impietate ducti homines dehortentur, ne sacrificent. Sacra non tam fieri ab hominibus ad bona impetranda, quam ad honorandos deos, utpote meliorem et praestantioram naturam. Negat autem Cyniscus deos praestare hominibus et quod Parcis subiecti sint et quod propter immortalitatem in aeternum illis subiecti teneantur. Multas praeterea calamitates immortalibus cum mortalibus esse communes. Vulcanum claudum esse, Prometheum affixum fuisse, ipsius Iovis patrem compeditum esse in tartaro. Deos vulnerari et spoliari posse sicut homines, multaque alia. Neque illa re deos elevari et magis esse venerabiles, quod per illos fatum omnia perpetret; hoc enim efficere tantum, ut ministri famulique Parcarum reddantur. Iupiter male contentus Cynisco nesciensque, quomodo eum refutet, aliam profert causam honorandi deos; nempe eos vaticinari et praedicere hominibus futura, quae constituta sint penes Parcas. Sed frustra conatus est Iupiter dignitatem deorum iamiam laesam recuperare, Cyniscus nihil prodesse contendit cognitionem et scientiam rerum futurarum, cum fieri non possit, ut praedicta evitentur atque caveantur. Praeterea oraculorum responsa non raro valde esse obliqua atque ambigua, ut responsum illud Delphicum, Lydorum regi Croeso datum, si Halym transiret eum magnum regnum eversurum esse. Iupiter deinde Cynisco fulmen ob sermonem audacem minitatur, quae res illum non solum non timore afficit, sed provocat ad rogandum, unde fiat, ut non raro arbores, naves aliaque res inanes fulmine feriantur, aut etiam homines innocentes, sceleratis autem parcatur? Quomodo porro fieri possit, cum dii sint et providentia et fatum, ut boni homines, exempli gratia Phocion, Aristides, in paupertate et penuria diem supremum obierint, alii vero, corrupti homines, divitiis abundaverint? Quomodo fieri possit, ut boni omnibus malis, mali omnibus bonis afficiantur? Iupiter respondet post hanc vitam malos male tractari, contra bonos in felicitate versari prout aut praemio aut poena digni inveniantur. Sed si quis, pergit Cyniscus, involuntarium bonum fecerit aut involuntarium malum, eum nec puniri nec praemio affici licere; ergo cum Parcae sint causa omnium, neminem nisi Parcas esse puniendas aut fatum. Itaque Iupiter discedit confutatus.

Contra in libro, qui inscribitur:³⁾ „defensio eorum, qui mercede conducti in potentiorum convictu sunt“, Lucianus illos irridet, qui dicunt se ad agendum compelli fato, dicens plerosque homines ad excusanda peccata illud in promptu habere se esse coactos a fortuna et a fato et a Parcis; nullius rei arbitrium penes nos esse, omnia agi a natura praestantiore

¹⁾ pag. 60. ²⁾ tom. 6, cap. 1 sqq. ³⁾ tom. 3, c. 8.

aut potius a fortuna aut a fato aut a Parcis; omnia, quae facere et dicere conemur, illis culpa esse tribuenda. Sed talem sermonem non valde probabilem esse monstrat Lucianus. Sane, si fato omnia fiant, homines non esse accusandos auctor docet in illo¹⁾ ex „dialogis mortuorum“, in quo Protesilaus mortis suae praematurae incusat Helenam, nam propter eam se apud Troiam interiisse. Aeacus eum docet non Helenam, sed potius Menelaum esse incusandum, qui Graecos Troiam duxerit. Menelaus autem negat se esse causam mortis Protesilai, sed Paridem, qui cum rapta Helena Troiam aufugerit. At contra Paris deum quendam se incitasse, cui non posset resisti, contendit. Sed nec deum illum reum esse mortis Protesilai Aeacus declarat et omnino neminem nisi Protesilaum ipsum, quod tam audacter ante alios in pugnam se proripuerit gloriae cupiditate ductus. Ad hoc Protesilaus respondet se ita necessario egisse coactum a fato fatalique necessitate. Quid igitur, inquit Aeacus, istos accusas?

In dialogo „Icaromenippus sive Hypernephelus“ Lucianus varias de diis sententias discutit.²⁾ Enarrat enim quibusdam philosophis deum esse numerum, aliis vero canes et anseres et platanos, alios unum solum universa gubernantem existimare, alios multos esse deos pronuntiare, et esse inter eos diversum honoris gradum. Quoad substantiam seu materiam, ex qua dii consistant, alios deum esse corpore formaque carentem dicere, alios eum habere corpus putare. Quoad providentiam seu gubernationem rerum humanarum esse qui dicant deos nullam de nobis gerere curam, alios autem non esse omnino deos existimare.

Deceptos esse homines deorum fabulis auctor in dialogo „Iupiter tragoedus“ contendit,³⁾ nam singulos populos alios alia sanxisset; Scythas acinaci sacrificare, Thraces Zamolxidem venerari, qui fugitivus e Samo ad illos venerit, Phryges lunam, Aethiopes diem, Assyrios columbam, Persas ignem, Aegyptios aquam, Memphitas autem ipsos bovem, alias Aegypti urbes alia animalia, ut ibidem, crocodilum, feles deos colere, quae sint omnia valde ridicula.

Poetas quoque indigna de diis narrare auctor in libro „de sacrificiis“ multis demonstrat exemplis.⁴⁾ Aetolos quod Dianam ad sacrificium quoddam non adhibuissent, magnas et multas calamitates esse perpessos. Aethiopes amicitiam iniisse cum Iove eum invitantes ad epulas duodecim dierum. Deos igitur nihil praestare sine pretio, sed vendere bona ab hominibus postulata, divitias huic, valetudinem illi, regnum alii, cum boves, tauros, hecatombas obtulerint. Apollinem servi munere functum esse inopia ductum in Thessalia apud Admetum, in Phrygia apud Laomedontem; Saturnum liberos suos devorasse, multa quoque alia de diis narrare poetas et haec quidem, cum Musas adiutrices invocaverint.

In dialogo „Iupiter tragoedus“, de quo iam supra mentionem feci, auctor disputat de existentia deorum.⁵⁾ Iupiter deos omnes in contionem convocat eisque refert se casu Athenis interfuisse disputationi inter Epicureum Damim et Timoclem Stoicum, quae disputatio tota ad deos spectaverit. Se audivisse Damim demonstrantem deos non providere hominibus neque esse omnino deos, Timoclem autem laudantem deorum providentiam, quae ad omnes pertineat res. Se disputationem illam nocte intermissa solvisse quidem, sed inter Damim et Timoclem convenisse, ut disputatio interrupta sequenti die ad finem perduceretur. Ne autem ex hac disputatione Timocles inferior discedat, a diis ipsis eum esse adiuvandum. Deinde surgit Momus in deorum contione valde vituperans malam deorum gubernationem; est, inquit, in hominum vita magna perturbatio rerum, boni neglecti et mali illis praelati, sacrilegi non puniti, sed diis non noti, iusti autem interdum crucifixi et fustibus caesi aliaque; merito igitur homines credunt deos omnino non esse. Paulo post disputatio inter

¹⁾ tom. 2, dialog. 19, c. 1 et 2. ²⁾ tom. 7, c. 9. ³⁾ tom. 6, c. 42. ⁴⁾ tom. 3, c. 1—6. ⁵⁾ tom. 6, c. 16 sqq.

Damis et Timoclem a Iove interrupta continuatur et ad finem perducitur. Damis a Timocle argumenta afferri vult, ex quibus deos esse colligi possit, cui Timocles respondet providentiam deorum, quae ex omnium rerum ordine intellegi possit, esse argumentum non refutandum; solem et lunam easdem semper tenentes vias, plantas et praecipue animalia singulari opere atque artificio perfecta providentiam esse demonstrare. Negat Damis hoc esse argumentum, non enim necesse esse illa omnia providentia quadam fieri, sed ea fortuito initio profecta nunc eodem modo consistere posse. Timocles deinde recurrit ad Homerum, optimum poetam, et ipsum providentiam declarantem. Damis concedit Homerum poetam fuisse, sed neque Homerum, neque omnes alios poetas testes esse providentiae et existentiae deorum, nam poetas minus veritati studere quam delectationi eorum, qui legant vel audiant. At Euripidem, contendit Timocles, deos ipsos in scenam productos ostendere. Sed illos in scenam productos non deos, sed homines esse, vel tragicos poetas ipsos, vel alios, partes deorum agentes, Damis respondet. Euripidem vero suam ipsius sententiam proferentem valde diverso modo de diis eloqui. Timocles post haec Damis in memoriam revocat deos esse omnes populos consentire. Sed ea ex re maxime cognosci posse non esse deos Damis obiicit; nam ex illis, quae inter gentes moribus seu legibus de diis recepta sint, apparere maximam confusionem in rebus divinis. Timocles oracula et divinationes profert ad exhibendam deorum providentiam, sed Damis eum ex ambiguitate oraculorum ineptiarum convincit. Ille nunc interrogat, nonne audiat Iovem tonantem? Se audire quidem tonitrua, respondet Damis, num autem Iupiter haec efficiat, se nescire. Timocles iterum recurrit ad illud iam antea a se dictum hoc universum esse non posse sine gubernatore, comparans mundum cum navi, cui gubernator opus sit ad navigandum; at Damis navem, quae sit mundus, non gubernari exemplis demonstrat. Postremo Timocles confugit ad altaria dicens, esse altaria, esse ergo etiam deos, quam sententiam Damis ridet ridensque discedit.

In dialogo „Iupiter confutatus“, quem iam supra laudavi, Lucianus demonstrat¹⁾ deos non esse felices, quales fingantur a poetis. Eos esse quidem immortales, sed Parcis subditos et propter illam immortalitatem eos manere in aeternum subiectos; sed et praetermissa illa Parcarum dominatione deos omnes multis variisque calamitatibus iam affectos esse et affici, quae satis probent iis felicitatem magnam non esse; eos enim in latrones incidere et spoliari vulnerarique, eos servire interdum hominibus aliaque.

Quomodo homines religiones instituerint auctor exponit²⁾ in libro „de sacrificiis“ ridetque, quod singuli populi singulos deos pro suis habuerint eosque variis finxerint formis. Primum, inquit, homines nemora sacrarunt et montes dedicarunt et sacras esse iusserunt aves et suas cuique deo plantas assignarunt, deinde deos suorum civium esse declararunt, ut Aethenienses Minervam, Argivi Iunonem; Cretenes Iovem apud se non solum natum et nutritum, sed etiam sepultum praedicant et sepulchrum eius ostendunt. Falso ergo putamus Iovem tonare et pluere reliquaque omnia perficere, cum iam per longum tempus sepultus sit. Deinde gentes templa aedificarunt, ne dii sine domo, sine foco essent, et statuas illis assimularunt ope Praxitelis aut Phidiae aut alius, qui deos non viderunt, sed imagines eorum sibi animo fingunt; tamen illi, qui aedem intrant, non imagines, sed ipsos videre deos putant.

In „patriae encomio“ Lucianus deos diversis natos esse patriis ridet,³⁾ dicens gaudere quoque ipsos deos suis patriis et illas, in quibus nati sint, urbes praeferre eos omnibus ceteris urbibus, quare illas urbes vel insulas augustiores esse divinioreque, in quibus

¹⁾ tom. 6, c. 7 et 8. ²⁾ tom. 3, c. 10 et 11. ³⁾ tom. 8, c. 5.

celebrentur natales deorum, et sacra ea diis gratissima existimari, quae domestico diis loco peragentur.

Deos bestiarum partibus ornatos Lucianus in „Iove tragoedo“ ludibrio tradit,¹⁾ in quo narrat, quomodo Iupiter Mercurium iusserit sedilia praebere singulis diis pro dignitate prout nempe singuli ad materiam vel ad artem se haberent. Primo loco aureos, tum argenteos, tum eburneos, tum aereos, postremo lapideos esse collocandos et in his ipsis, qui Phidiae sint, aut Alcamenis, aut Myronis, aut similium artificum esse praefereandos. Dum ergo dii secundum illum ordinem collocantur, Neptunus conqueritur, quod Anubis, qui deus Aegyptiorum vultu canino praeditus sit, ante se habeat sedem. Sed Anubis aureus Neptuno praefertur, quamquam ille vultum habet canis.

Deos nudos apparere auctor in „Cynico“ ludit.²⁾ Cynicus enim a Lycino quodam vituperatur, quod barbam et comam quidem colat, tunicam vero non habeat et nuda cute incedat, ad quod Cynicus praeter alias excusationes etiam illud affert deos quoque simulacraque deorum esse capillatos quidem et barbatos, plerosque autem sine tunicis; ergo, quod deos deceat, homines non dedecere.

In sermone „bis accusatus seu tribunalia“ Iupiter luditur³⁾ ut aerumnosus rex. Conqueritur nempe in hoc libro Iupiter de philosophis illis, qui contendunt apud solos deos esse felicitatem. Omnibus enim diis magnos impositos esse labores, quos tamen mediocres esse, si comparentur cum illis, quibus ipse rex et pater omnium perfungi debeat. Sibi primum opera ceterorum deorum esse inspicienda, deinde sexcenta alia per se agenda; cum enim pluvias, grandines, ventos, fulgura dispensarit atque ordinarit, eodem tempore respicere necesse esse fures, sacrificantes, aegrotos, navigantes, si quis eorum vocaverit. Sed illa nondum esse omnia curae suae tradita; se eodem tempore, quo enumerata peragenda sint, adesse debere Olympiae ad hecatombam accipiendam, Babylone ad inspiciendos belligerantes, apud Getas ad grandinem demittendam et apud Aethiopes ad epulandum. Et ne sic quidem facile esse querelas effugere, ut illam, deos non providere rebus terrestribus. Se gubernatoris instar solum stare in puppi gubernaculum tenentem; se pro omnibus curam gerere et esse eo solo honoratum, quod dominus videatur.

Eiusdem Iovis in „deorum comitiis“ fabulae ridentur.⁴⁾ In Creta ostendi sepulchrum Iovis et ab Achivis Aeginensibus idem dici mendacium. Iovem mortales uxores sibi elegisse et liberos ex illis procreatos immortalitate condonatos et inter deos annumeratos esse. Iovem se varie transformasse, in traurum vel in aurum, ut incognitus ad homines pervenire et inter eos versari posset. Neminem risum tenere posse audientem Herculem deum esse factum, Eurysthea vero, apud quem Hercules servi munere functus sit, diem supremum obiisse. Thebis Bacchum deum esse, at consobrinos eius Penthea, Actaeona et Learchum hominum omnium infelicissimos fuisse. Ceteros deos exemplum Iovis imitatos esse uxores mortales sibi eligentes.

Quales sint semidei, intellegi potest auctore Luciano⁵⁾ ex Baccho illo, cuius paulo antea mentionem feci. Bacchus matre barbara natus ne Graecus quidem fuit, sed vectoris Syrophoenicis Cadmi ex filia nepos, qui Bacchus muliebris et effeminatus natura et furiosus totum suum chorum adduxit in coelum deosque fecit Panem et Silenum, quorum unus corniger et ex dimidia inferiore parte capro similis, alter calvus senex, simia naribus; deos fecit et Satyros, rusticos et caprarios plerosque, qui habent aures acutas, qui calvi quoque sunt, cornibus insuper ornati, caudasque habent omnes. Dii ipsi in concilio de semideis

¹⁾ tom. 6, c. 7, 8, 9. ²⁾ tom. 9, c. 1 et 20. ³⁾ tom. 7, c. 1—4. ⁴⁾ tom. 9, c. 7 et 8. ⁵⁾ ibidem c. 4.

conqueruntur¹⁾ et statuunt praesentiam multorum semideorum in coelo non posse tolerari salva dignitate et gravitate ipsorum, qua de causa censent semideos ut peregrinos e coelo esse dimittendos atque removendos. Illi enim adeo coelum impleverant, ut ambrosia et nectar deficeret; praeterea veris veteribusque diis postpositis primos accubitus in convivio sibi arrogantes ab hominibus prae veris diis honore affici desiderabant.

Daemones num spectari possint aut spectra aut animae mortuorum Lucianus in dialogo „Philopseudes sive incredulus“ tractat atque id fieri posse negat.²⁾ Incredulus enim contendit se nihil eorum vidisse neque unquam talia sibi apparuisse; omnia illa vana atque inania esse mendacia.

Hominum ad deos rationes Lucianus in „Prometheo sive Caucaso“ ridet.³⁾ Praeter alia Prometheo culpae tribuitur, quod homines formaverit. Prometheus contra asserit homines a se creatos diis augere felicitatem; ubique enim esse aras, sacrificia, templa, festa. Quid agant dii non habentes quibus prospiciant? Ridiculum esse se incusare propter homines creatos, cum dii ipsi non intermittant in terram descendere et mulieres mortales in matrimonium ducere. Deos forte indigne ferre, quod in similitudinem illorum homines fecerit; at se nescisse aliud exemplar melius illo deorum. Num animal rationis expers effingi diis convenerit? Si homines tales fecisset, neminem futurum esse, qui sacrificaret diisque honorem haberet. Quare deos, si homines ipsis displiceant, non dedignari hecatombas accipere sibi oblatas? Se ipsum autem, auctorem omnium honorum et victimarum, gravem poenam dedisse. Prometheo illud quoque culpae tributum erat, quod hominibus ignem diis subreptum dedisset, contra quod Prometheus affirmat diis ex illa re damnum non obvenisse; ignem enim non decrescere, si lumen ex eo accensus sit; invidiam esse immortalium in mortales, quod ignem illis datum aegre ferant. Oportere autem deos beneficos esse, bona atque commoda largientes. Si vel omnem ignem, nihil ex eo relinquens in terram tulisset, tamen futurum non fuisse, ut diis noceret, quia illi ignis omnino non indigeant; hominibus autem igne valde opus esse, praesertim ad sacrificandum, cum nidor victimarum deos summopere delectet.

De deorum cultus originibus auctor disserit in sermone „de dea Syria“ scripto. Primi, inquit,⁴⁾ homines in orbe terrarum, de quibus memoriae proditum est, Aegyptii, habuerunt iam deorum cognitionem templaque condiderunt sacraque fecerunt; apud quos primum nomina sacra nota fuerunt narrationesque de rebus divinis. Ex Aegypto doctrina de diis in Assyriam est translata, ubi templa exstructa in eis simulacra posita sunt. Ipse plura Syriae templa vidi, ut illud Herculis Tyrri et illud Veneris Bybliae. Apud Sidonios est templum, quod alii Astartae seu lunae, alii Europae, Cadmi sororis, quam Phoenices colunt, esse dicunt. In illo Veneris Bybliae templo Adonidis quoque orgia peraguntur, qui in regione illa ab apro necatus est. Sunt autem Bybli, qui dicant, orgia illa non in Adonin, sed in Osirin Aegyptium, qui ibi sepultus sit, spectare caputque eius quotannis ex Aegypto natans Byblum venire. Aliud quoque miraculum quotannis apud Byblios accidit; flumen, cui nomen est Adonis, sanguinolentum fit singulis annis eoque modo indicat tempus Adonidis festorum celebrandorum. Illis enim diebus Adonis vulneratur in Libano, unde flumen illud oritur, misceturque vulnerati sanguis aquis fluminis. Enarrata hac fabula Lucianus veram cruentatae aquae causam adiungit. Libani solum coloris est rubri; illis diebus tempestates vehementes oriuntur et partes illius terrae rubrae flumini inferre solent, quae aquam sanguineam reddunt. Deinde pergit auctor loqui de antiquis deorum templis asserens nullum se

¹⁾ ibidem c. 14, 15. ²⁾ tom. 7, c. 30 et 40. ³⁾ tom. 1, c. 17—19. ⁴⁾ tom. 9, c. 2 sqq.

vidisse maius et sanctius templo illo Hierapolitano; ibi enim, aliis praetermissis, simulacra sudant, moventur et edunt oracula. Ex sententia fere ab omnibus recepta Deucalion Scythae fuit conditor templi, Deucalion, quem Graeci narrant auctorem esse generis humani nunc viventis. Homines enim ante Deucalionem viventes tam mali, scelerati nefariique fuerunt, ut omnes perirent aquis supervenientibus. Nemo nisi Deucalion ex calamitate illa evasit prudentia et pietate eximius. Is enim in arca magna, quam cum suis ingressus est cumque binis cuiusque generis animalibus, quae non in aquis vivunt, quaeque ad eum illo diluvii tempore venerant, conservatus est. Tali modo res narratur a Graecis. Hierapolitani autem dicunt tempore illius diluvii in ipsorum regione hiatum factum esse magnum, qui aquam omnem devoraverit. Quae cum facta essent, Deucalion altaria templumque Iunoni dedicatum prope ad hiatum extruxit. Quem hiatum se ipsum vidisse Lucianus affirmat et hoc amplius addit bis per annum sacerdotes aliosque homines plurimos aquam in templum ferre ibique effundere, quae inde in hiatum defluat. Alii e contra templum illud a Semiramide conditum esse putant in honorem matris Dercetus. Sed haec hactenus.

In tractatu „de sacrificiis“, cuius iam supra mentionem feci, auctor noster diversarum gentium cultus ridet.¹⁾ Homines offerre diis varia animalia vittis ornata et iam diu antea probata, si sint integra. Non licere ingredi intra vasa lustralia, nisi cui manus sint purae. Sacerdotem, sanguine animalium occisorum aspersum, exta corque eximere, sanguine altare circumfundere aliaque rite pieque perficere. Scytham autem non hostias, sed homines altari imponere et credere se his sacrificiis diis placere. Sed ista esse forte mediocria comparata cum illis, quae a quodam Assyriis, Phryges Lydosque fiunt. In Aegypto autem multa coelo vere digna conspici posse, ut Iovem faciem arietis habentem, Mercurium canina facie, Panem capro similem et alium eorum ibidem, crocodilum alium aut simiam. Si quis scire vult, pergat Lucianus, quare dii isti sub animalium formis appareant, a multis raso capite prophetis aliisque doctis viris audire potest deos seditionem hostilium gigantium metuentes in Aegyptum fugisse et, ut laterent hostes, alium subiisse caprum, alium arietem, alium aliud animal diisque formas illas usque in hunc diem esse servatas. Scripta valde antiqua, quibus haec mandata sunt, in penetralibus templorum reposita adhuc exstant et servantur. Sacrificia autem etiam apud illos sunt eadem, nisi quod hostiam mactant tantum et lugentes plangentesque sepeliunt. Summus Aegyptiorum deus existimatur Apis, quo mortuo omnes Aegyptii tondunt comam lugendi causa. Apis vero est bos de grege pulchrior augustiorque vulgaribus bubus. Quae cum ita sint, Lucianus Aegyptiis Heraclitum quendam vel Democritum optat, ut alter dementiam eorum rideat, alter ignorantiam deploret.

Religionibus homines falli Lucianus in illo dialogorum mortuorum, qui inter Alexandrum et Philippum habetur, demonstrare intendit.²⁾ Philippus filium alloquitur dicens eum non iam dubitare posse, quin ipse Philippus et non Iupiter pater eius fuerit. Alexander se id nunquam ignorasse respondet, sed se filium Iovis esse finxisse, ne barbari in proeliis resistere auderent existimantes se pugnare eum deo. Ad quae Philippus necesse non fuisse, ait, Alexandrum se deum esse simulasse, ut devinceret barbaros populos; multos enim ex illis ignavos mollesque, ut Medos, Persas, Chaldaeos, qui exercitui strenuo resistere non audeant. Verum non solum in proeliis committendis, sed etiam in reliqua vita Alexandrum deo indigna fecisse. Clitum occidisse inter pocula, vestitum patrium mutasse et veste persica usum esse moresque populorum in servitutum redactorum imitatum esse. Si forte in pugna vulneratus esset, omnes deum vulnere ingemiscerent risuros fuisse, ut et nunc, cum Alexander mortuus

¹⁾ tom. 9, c. 12—16. ²⁾ tom. 2, c. 1—6.

sit, multis corpus eius intuentibus simulatam divinitatem ioco esse. Contra Alexander contendit non ita homines sentire de se, sed se haberi ut alterum Herculem vel Bacchum.

In „amoribus“ Lucianus ludit sacrificia¹⁾ dicens de Hercule eum boves devorare et victimis fumo deficiente non delectari, et in tractatu „de sacrificiis“ ridet deos sacrificia percipientes²⁾; eos sedere circa Iovem terras circumspicientes, ut animadvertant ignem accensum aut fumum surgentem ex sacrificiis; si quis autem sacrificet, deos epulari fumum illum inhalantes et sanguinem hostiarum altaribus affusum tamquam muscas bibentes.

Deos absque mercede nihil facere, sed vendere hominibus bona ridet auctor noster in libro „de sacrificiis“, in quo narrat³⁾ homines emere sacrificiis oblati beneficia a diis optata ut valetudinem aut divitias aut salvum in patriam reditum. Agamemnonem ipsam filiam, virginem regiam, offerre coactum esse, ut ab Aulide ad Ilion classe proficisci posset; Hecubam autem, ne urbs expugnaretur, ne bubus quidem duodecim peploque redemisse. Attamen verisimile esse multa etiam rebus minimi pretii ut gallo aut corona aut solo ture apud deos esse venialia.

In „dialogis deorum“ Lucianus ludit vaticinia⁴⁾ Iuno et Latona inter se confabulantur de liberis suis, et illa huic dicit filiam eius Dianam esse nimis viro similem et quasi venatorem aliaque, filium autem Apollinem simulare se scire omnia et vaticinari, vaticinando vero consulentes inducere in errorem ambiguitate et obscuritate responsorum. Ita quidem eum ditescere multis stultis, qui oracula poscant, fallendis. Oracula vero esse mendacia prudentiores non ignorare, cum eis haud ignotum sit Apollinem ne praedivinare quidem potuisse futurum esse, ut fugeret eum Daphne. In „disputatione cum Hesiodo“ auctor divinationem iterum eludit⁵⁾ interrogans Hesiodum, quare, cum de se ipso praedixerit se cantaturum praeterita nec non futura, alterum quidem fecerit, alterum autem, rerum nempe futurarum divinationem praetermisit? Hesiodus praeter alia hoc respondet se multa praedixisse, quae eventus indicent et eorum, quae recte et suo tempore peragantur et illorum, quae praetermittantur, exempli gratia, quae bona hominibus agros recte colentibus futura maneant. Ad haec Hesiodi adversarius talia, ait, agricolas quoque et melius quidem quam Hesiodum divinare posse ut illud, pluviam messem copiosam, agrorum sitim famem sequi; insanientis esse media aestate arare aut metere spicam adhuc virentem. Talia nuncupari posse praecepta, non autem divinationes; illas enim pertinere ad res obscuras, nullo modo antea cognitatas. Si talia praedicanda sint divinationes, se ipsum vatem esse sine apparatu, sine tripode Delphico, sine lauru; se enim praedicturum, si quis nudus in frigore circumbeat, pluvia insuper cadente aut grandine, fore ut perfrigescat et in febrim incidat. Perspicuum ergo esse Hesiodum nihil de rebus futuris scivisse, quamquam in carminibus promiserit se cantaturum non solum praeterita, sed etiam futura.

De astrologia auctor miro modo iudicat. Exponit enim in tractatu de hac arte⁶⁾ stellas quidem in coelo orbem suum volvere simul autem cum motu suo res quoque ad nos pertinentes peragere. Sicut enim, inquit, equo currente aut avibus vel hominibus motis lapides emoveantur resque parvi ponderis agitantur vel commoveantur vento, quem cursus efficiat, ita et rotatione stellarum praeter ipsarum motum alia quoque aguntur, et cum parvulus iam ignis nos et lumine et calore moveat, quamquam non propter nos urat, sed natura ipsa coactus, quanto magis lucidissimae illae stellarum moles rotatione et ardore hominum res secum trahunt; et quamquam astrologica ars prohibere quidem nequit, quin, quae ex

¹⁾ tom. 5, c. 4. ²⁾ tom. 3, c. 9. ³⁾ tom. 3, c. 2. ⁴⁾ tom. 2, c. 1. ⁵⁾ tom. 8, c. 1, 6, 7, 8. ⁶⁾ tom. 5 de astrologia, c. 29.

siderum cursu praesciuntur, eveniant, attamen bona praevisa multo magis iucunda redduntur, mala vero facilius tolerantur.

Quomodo deorum cultus et astrologia cohaereant, id ipsum Lucianus explicare intendit.¹⁾ Primos Aethiopes hanc artem coluisse, tum eam vicinis suis Aegyptiis imperfectam tradidisse, qui mensuram motus unius cuiusque signaverint numerumque annorum, mensium, horarum constituerint; neque his contentos ex toto aëre et stellis reliquis non se moventibus atque fixis duodecim partes separasse inter alias se moventes. Quibus cum nomina animalium apud eos viventium imposuissent, omnia eos ita distribuissent, ut alia ad mare, alia ad homines, alia ad bestias, alia ad volucres pertinerent; quare etiam sacra Aegyptiorum varia esse; non enim omnes ex omnibus duodecim partibus divinasse, sed alios aliis partibus esse usos; itaque arietem ab illis coli, qui arietem in coelo respiciant, pisces non edere, qui piscibus nomen illud dederint, caprum non iugulare, qui capricornum noverint; taurum quoque coli ab iis in honorem tauri illius coelestis, quare Apis apud illos sanctissimus habeatur eique oraculum constitutum sit signum divinationis tauri illius coelestis. Libyes quoque hanc artem coluisse, Iovem enim Ammonem ab iis fingi arietis vultu ornatum; non minus Babylonios illas res cognitatas habuisse, Graecis autem Orpheum primum de astrologia narravisse lyramque eius septem chordarum symbolum quoddam fuisse harmoniae stellarum se moventium.

In dialogo „Toxaris seu amicitia“ auctor noster ridet iuramenta in deos facta.²⁾ „Toxaris, qui narraturus est Mnesippo cuidam exempla verae et firmae amicitiae, prius iurat iusiurandum per ventum et acinacem se mendacium non esse dicturum. Mnesippus vero respondet se non putare illo iureiurando opus esse, quamquam id probet eum non per deum aliquem iurasse. Toxaris contra contendit ventum acinacemque sane deos esse, nam hominibus nihil esse maius quam vitam et mortem, ventum autem causam vitae esse, acinacem vero mortem efficere. — Verum si illa de causa, inquit Mnesippus, acinaces in deorum numero habeatur, quod mortem efficiat, sagittam et hastam multaue alia esse deos, ad mortem enim vias ducere innumeras. In tractatu „Philopatris seu qui docetur“ Lucianus iterum ludit iuramenta apud deos facta.³⁾ Critias Trieponti iurat per Iovem; illum habere potestatem mittere homines in tartarum fulmineque prosternere et vicisse Titanos gigantesque, vere ergo esse timendum. At Triephon respondet: Iupiter ob libidines in varia se mutavit animalia neque eum puduit apud Aethiopes, nigra facie homines, epulas duodecim dierum celebrare. Licetne, interrogando pergit Critias, per Apollinem iurare, qui est vates optimus necnon medicus? Ille, inquit Triephon, mendax est vates, quippe qui Croesum et post eum Salaminios multosque alios ambigua vaticinans in erroris perversitatem induxerit. Critias rursus interrogat, nonne per Neptunum, terribili voce in bello clamantem terramque tridente quassantem sit iurandum? Neptunum adulterum esse et protectorem ac liberatorem eorum, qui similia perpetraverint, obiicit Triephon, et simili modo alios quoque deos, ut Mercurium, Venerem, Minervam hand idoneos demonstrat, per quos homines iurent.

Quid senserit gentilium vulgus de illis, quae post mortem hominibus eveniant, auctor docet in tractatu „de luctu“.⁴⁾ Homines non eruditi, quos idiotas nominant sapientes, sententias Homeri et Hesiodi aliorumque fabularum scriptorum secuti existimant orcum locum esse sub terra profundum, magnum amplumque, sole carentem, tenebris obscurum et tamen illustrem in tantum, ut omnia ibi conspici possint. Dominatur Iovis frater Pluto seu Dis, cui sorte evenit regnum mortuorum, qui ab illo recipiuntur vinculisque retinentur, quae nemo effugere potest; nemini facultas redeundi data est, nisi quibusdam paucissimis ob gravissimas

¹⁾ tom. 5, c. 3—10. ²⁾ tom. 6, c. 38. ³⁾ tom. 9, c. 4—9. ⁴⁾ tom. 7, c. 2—11.

causas. Regio autem Plutonis circumfluitur fluviis magnis, terribilibus, si sola nomina respicias; Cocytos enim, quod nomen derivandum est de verbo „κωκείν“, id est lamentari, et Pyriphlegeton, quod nomen compositum est ex verbis graecis „πῦρ“ id est ignis et „φλέγειν“ id est ardere, et similiter flumina illa nominantur. Primum mortui veniunt ad Acherusiam paludem, quae est profundior et latior, quam ut transiri vel transnari vel transvolari possit. Ad ipsum autem descensum et portam Aeacus est, qui custodit illam iuxtaque illum canis triceps, qui fugere conantes latrans et ringens terret. Illi, qui lacum transgressi sunt, in pratum magnum perveniunt consitum asphodelo ibique potum sumunt, qui memoriam rerum praeteritarum exstinguit, qua de causa oblivionis potus nominatur. Illa narraverunt Alcestis et Protesilaus nec non Theseus et Ulixes, qui ex inferis redierunt, sed potum illum non biberunt. Dis ergo et Proserpina imperium tenent iisque subiecta sunt omnia; ministrant illis et cum ipsis regnant Furiae, Poenae, Terrores. Iudices apud inferos sunt Minos et Rhadamanthus Cretenses. Boni iustique homines in campum Elysium mittuntur, in quo vitam degunt beatissimam; mali vero traduntur Furiis cruciandos et puniendos malitiae iniustitiaeque ratione habita. Homines mediae vitae, qui nec inter bonos vel iustos, nec inter malos et iniustos numerari possunt, per pratum vagantur sine corporibus, umbrae facti et nutriti libatis ab hominibus inferiis; qui ergo ex illis amicos vel cognatos in vita non reliquit, esurit inter mortuos versans.

In illo ex dialogis mortuorum, qui habetur inter Diogenem et Pollucem, auctor noster, quales post mortem futuri simus, ignorari, divites certe eiulatuos dicit.¹⁾ Diogenes Polluci, qui ex inferis in terram rediturus est, mandatum dat, ut Menippo cuidam, cani, id est philosopho cynico renuntiet eum, si satis apud superos riserit philosophos inter se disputantes aliaque, quae in terra agantur, ad inferos descendere a se iuberi, ubi multo plura sit irrisurus. Homines enim in terra viventes, pergit Diogenes, rident nescientes, quae res post vitam finitam eventurae sint; illic autem rideri poterit iam nullis rebus incertis; praesertim irridendi erunt divites, satrapae, tyranni tam humiles redditi, quos discernere a ceteris mortuis eiulatu tantum emisso ob divitias et delicias praeteritas licebit. Nos morte privari rebus vitae huius Lucianus in illo quoque ex dialogis mortuorum, qui est Diogeni cum Alexandro Magno dilucide docet.²⁾ Alexander optat et sperat se ad superos rediturum, qua spe privat eum Diogenes dicens non licere quemquam eorum, qui paludem illam Acherusiam transvecti sint, redire in terram, Deinde Alexandrum interrogat, quo animo ferat, quod tantam felicitatem in terra relinquare morte intercedente coactus sit? quod custodes, satrapae, aurum, populi adorantes, honor gloriaque in terra remanserint?

In philosophos invehitur Lucianus in tractatu „Icaromenippus, seu Hypernepheles“.³⁾ Philosophos alios Stoicos appellari, alios Academicos, alios Epicureos, Peripateticos alios aliisque nominibus ridiculis. Philosophi vestitus habitusque simulatione pravos mores occultant. Cum autem sint tales, tamen despiciunt ceteros homines; de diis vero absurda dicunt et pronunciant; conquirunt adolescentes, qui facile decipi possunt et coram illis virtutem summis laudibus efferunt, tolerantiam temperantiamque praedicantes, divitias, voluptatem et luxuriam contemnentes; sin autem sunt soli, remotis discipulis, luxuriose vivunt et avaritia pollent. Philosophi sunt homines inutiles, neque in bello, neque in concilio adhibendi; tamen ceteros accusant, increpant, vituperant.

Lucianus ludit etiam philosophos naturales dictos in eodem libro.⁴⁾ Cum nemo eorum, inquit, quidquam dicat, in quo sequatur alterum, sed pugnantia omnia et sibi contraria pro-

¹⁾ tom. 2, c. 1 et 2. ²⁾ tom. 2, c. 3 et 4. ³⁾ tom. 7, c. 29—31. ⁴⁾ tom. 7, c. 6 et 7.

ferant, tamen quisque existimat suam ipsius rationem esse veritati proximam. Superbi cum sint et in disputando audaces, se coeli fines pervidere et solis circuitum metiri et per ea, quae supra lunam sunt, incedere dicunt. De stellis, de magnitudine et forma earum disputant tanta cum subtilitate, ac si ipsi de stellis in terram ceciderint. Quantum sol distat a luna accurate noverunt; aëris altitudines, maris profunditates, terrae circuitus metiuntur; praeterea autem circulos describunt et triangula super quadratis construunt et sphaeras quasdam varias, coelum nempe ipsum permetiuntur. Et cum in his rebus tam obscuris sint occupati, tamen nihil pro incerto proferunt, quasi errare in his minime possint.

In libro, qui inscribitur „Alexander seu Pseudomantis“ auctor narrat,¹⁾ quomodo Pseudomantis legerit literas cera obsignatas. Pseudomantis omnes, qui oraculum ab ipso petierant, in libellos inscribere iubebat, quae sibi opus essent aut de quibus vellent potissimum certiores fieri. Libelli autem erant filo ligandi et obsignandi cera aut eius generis re alia et cuiuscunque, qui quaerebat, sigillo signandi. Deinde praestigiator solvit sigilla, legit interrogationes, inscripsit responsa ad interrogationes aptata, libellos iterum obsignatos reddidit. Quae res omnibus imperitis et obesae naribus hominibus valde admirabilis esse debebat. Sigilla autem Pseudomantis solvit hoc modo: acu candefacta ceram infra sigillum liquefecit, sigilloque deinde detracto libellum legit iterumque acu igni calefacta ceram liquefecit, et quae infra sub lino est, et quae sigillum ipsum continet, conglutinavit. Altera ratio solvendi sigilla fiebat per collyrium, paratum epice Bruttia, cera aliisque. Quod collyrium calefactum sigillo imposuit et typum expressit; post haec solvit sigillum lectoque libello ceram imposuit sigillumque in collyrio siccato receptum libello iterum impressit. Praeter illas tertiam Lucianus affert rationem, qua Pseudomantis sigilla solverit, sed nos praetermissa illa audiamus quid de Iudaeis dicat. Iudaei non placent; sunt enim homines ad fraudem acuti, cum vanis remediis contra morbos vagantes, ut Lucianus pronuntiat in carmine, cui inscriptio: „Tragopodagra“,²⁾ in quo podagram ipsam inducit enumerantem varia medicamenta remediaque, quae homines omnibus temporibus invenerint sibi que comparaverint ad removendam vel depellendam ipsam; alium purgari bibendo sacrum pharmacum, alium praestigiatorum carminibus decipi, tertium a Iudaeo excantari. Sed et medici, qui partes agunt in hoc carmine, profitentur se esse Syros, Damasci natos, qui fame coacti terra marique errent, unguentum vendentes acceptum a patribus, quo sanare possint podagrosos. Interrogati, quod sit illud unguentum et quomodo paratur, respondent se iurasse patri morienti vim medicamenti occultatum iri. In annotationibus in Tragopodagram explicatur³⁾ Lucianum medicos illos ex Syria ortos fingere praecipue, ut Iudaeos perstringat, quorum multi medicinam temere profiteri iam auctoris tempore fuerint soliti.

Quid auctor ipse de divinis senserit, difficile est enucleare. In libro, qui inscribitur „Lucius sive asinus“, blasphematur providentiam.⁴⁾ Lucius ille unguento quodam unctus mutatus est in asinum et auctor noster inducit eum narrantem, qualem vitam durante illa mutatione egerit, in qua narratione etiam illud commemorat, quomodo ultrix illa providentia multum saepe vertigine quasi quadam circumacta et huc illuc labans sibi adduxerit emptorem et dominum, qualem minime optaverit.

Argumentum „physicotheologicum“ ab auctore discerpitur loco ex „Iove Tragoedo“ iam supra prolato,⁵⁾ ubi Timocles Damisque disputant de existentia providentiaque deorum.

¹⁾ tom. 5, c. 20—22. ²⁾ tom. 10, vers. 170—173 et 264—274. ³⁾ edit. Bip. tom. 10, pag. 89.

⁴⁾ tom. 6, c. 35. ⁵⁾ tom. 6, c. 38.

Timocles contendit ex ordine, quo omnia fiunt et moveantur, ex sole lunaque easdem vias semper tenentibus, ex commutationibus temporum, ex animalibus tanta arte perfectis, tot talibusque bonis exornatis deos providentiamque esse colligi posse. Damis respondet Timoclem illud afferre pro argumento, de quo quaestio sit. Nondum enim constare, num ordo ille illaque in omnibus rebus ars et res ipsae a providentia proficiscantur; fieri enim posse, ut illa omnia casu initium ceperint et nunc simili modo existant; Timoclem ordinem illum apparentem in omnibus rebus dicere necessitatem et hanc esse demonstrationem providentiae existimare.

Argumentum etiam „historicum“ ab auctore quodammodo discerpitur.¹⁾ In eodem enim libro Timocles recurrit ad Homerum et ad Euripidem, qui providentiam deorum declarent. Damis econtra contendit Homerum ceterosque poetas minus verum respicere, quam ut auditores vel lectores delectent, et si Euripides deos ipsos in scenam productos ostendat, ea ex re minime esse iudicandum revera deos esse vel providentiam.

De terrenis rebus Lucianum non male sensisse Bourdelotius in praefatione ad Lucianum²⁾ breviter exponit. Lucianus enim, inquit ille, vitam privatorum praestantissimam ac tutissimam habet; omnes, qui regnare desiderant, respiciant miseram tyrannorum vitam, domesticos luctus, insidias omnium, servilem metum, ut auctor demonstrat in libris, qui inscribuntur „Cataplus“ et „Tyrannicida“. Divitiae, imperia, regna, magistratus ceteraque omnia, quae mundus fictique philosophi quaerunt, sunt vana, fluxa, caduca. Omnes homines pro virtute vel pro vitiis iudicabuntur sine ulla fortunae, potentiae, divitiarum, famae aut dignitatum aestimatione, sine ulla personarum ratione; ita Lucianus in tractatu „de Mortuis“. Vana sunt perditorum sacrificia, nisi vitam virtuti sacrificent. Iupiter non placatur illorum hostiis, qui periuris linguis minus audientem fatigant; grata hostia est animus purus, recta mens, sincera conscientia, ut auctor demonstrat in „Votis“ et in tractatu „de Sacrificiis“.

In „Nigrino“ mollium vita ab auctore ridetur.³⁾ Molles emere cara obsonia miramque in apparandis coenis diligentiam adhibere brevisque voluptatis causa maximum laborem sustinere; vinum in conviviis cum croco et odoribus effundere; media hieme rosas cumulare, quas ament, quamdiu sint rarae et intempestivae; unguenta bibere talesque se praebere, qui ne cupiditatibus quidem servire sciant, cum omnibus voluptatibus immoderate aditum in animos relinquunt. Cum autem domo exeant molles deambulatum vel lavatum in balneas, eos saepe a servis gestari, multitudinem sequi, alios anteire, quos clamare et praemonere necesse sit, ut attendant, si lapis in via nimis exstet aut cavum aliquod sit praetergredendum, cum ipsi sanos habeant oculos et prospicere possint.

Quid Lucianus de peccatis senserit, ostendit in „Demonactis vita“;⁴⁾ quem ipse viderat et cuius familiaritate diutissime usus erat. Demonax Luciano auctore vir erat, qui amore philosophiae ductus humana bona omnia despexerit, vitam sobriam et irreprehensam degerit, simul praebens omnibus prudentia et philosophandi veritate optimum exemplar. Ille nunquam indignatione aut ira nimis incensus fuit, et si quis erat vituperandus, peccata quidem improbavit, peccata autem committentibus veniam dedit, existimans hominis quidem esse peccare, sed dei aut hominis deo similis peccata emendare; itaque illos tantum respuit, quos sine spe emendationis peccantes videbat.

¹⁾ tom. 6, c. 39—42. ²⁾ vid. Reitz. praefat. pag. 19, 20. ³⁾ tom. 1, c. 31—35. ⁴⁾ tom. 5, c. 1—8.

Iam ad id transeamus, ut investigemus,

quid Lucianus de christianis senserit

et ut ea, quae auctores Lucianum secuti protulerunt, paucis verbis proponamus. Suidas eum contra Christum et christianismum scripsisse his verbis contendit:¹⁾ Obiise Lucianum fama est, a canibus laceratum, quoniam et contra veritatem velut rabiem exercuisset. Nam in vita „Peregrini“ christianismum quoque insectatur, ipsum Christum contumeliose incessit, scelestus ille. Volateranus commemorat²⁾ Lucianum initio christianum fuisse, postea autem eiusdem religionis desertorem factum esse, dictitantem se nihil ex ea consecutum, quam quod nomen ipsius corruptum esset, ex Lucio Lucianus factum. Sed contra id nititur Bourdelotius dicens:³⁾ Qui mendaciis suis invicem credunt, christianum fuisse arbitrantur, suppositorum pravitate decepti. Ipsa „de morte Peregrini“ narratio satis evincit errorem. Nec sanior eorum opinio, qui a canibus laceratum asseverarunt. Zvingerus autem de Luciano haec pronuntiat:⁴⁾ Ad Dei cognitionem et verum cultum si spectemus, hac parte vel maxime impium fuisse eum et *παμμάρτυρ*, ut ait Suidas, libenter fatemur, qui non solum Dei providentiam risui habere, sed et Christum ipsum, humani generis vindicem, cavillis et maledictis insectari fuerit ausus, tam feriali rabie, ut per ludibrium *ἀνεσκολοπισμένον σοφιστήν* scelerate calumniaretur, et quod Ponticus Virinius in quadam epistola observat, Ioannis quoque evangelium incesset, quod de „Philopatre“ dictum existimari potest. Ad hoc Reitzius adiungit non satis esse certum, num „Philopatris“ a Luciano sit scriptus, vel num „Peregrinus“ Christum ludat. Bourdelotius, qui est defensor acerrimus Luciani contra eius obtretractores, odium eius in Christum his excusare studet verbis:⁵⁾ Longe acrius pungit Lucianum Christum contumeliosis verbis laesisse. Impium, sceleratum, damnandum fateor, nisi superstitionum erroribus etiam tum irretito parcat, poenam in se reposcere, quam Tacitus, Suetonius et alii christianorum hostes acriores passi sunt; nam eum nunquam christianum fuisse alibi docuimus. D. Tillemontius de Luciano haec dicit:⁶⁾ Palam profitetur impietatem, aequè subsannans veram religionem, de qua diversis in locis loquitur, ac superstitiones ethnicorum, quas vere ridiculas esse demonstrat. Inde cognomen blasphemi et athei traxit, teste Suida. Namque et philosophiam Epicuri sectabatur, ut vid. in ipsius Lucian. Pseud. c. 61, Phot. c. 128, p. 309. (quae ab atheismo parum distat) vel potius neque ulli religioni addictus fuit, neque dogma certum et constans fovit, omnia vero ut incerta ac problematica considerans et omnia ridere volens. Suidas addit referri eum a canibus discerptum interiisse in poenam, quod ausus esset cavillari Iesum Christum (quod forsitan ne ipsi quidem daemones unquam sunt ausi. Nos vero optarem id testimoniis melius comprobatum.) Creditur etiam nonnullorum dictum, quod Christianus fuerit, haud aliunde natum, quam ex verbo Suidae male intellecto et ex eo, quod maiorem Christianismi notitiam habuerit, quam multi alii ethnici. Hoogstratanus, nonnulli inquit,⁷⁾ credidere Lucianum christianum fuisse et, si dialogus de „Peregrino“ revera ab ipso profectus esset, verisimile foret eum in mysteriis christianorum fuisse exercitatum; sed hoc opus est antiquioris Christiani, qui Paulum viderat atque audierat, quod Luciano, qui sub Traiano natus fuit, contingere non potuit. Illi, qui Lucianum impium ac sine religione nobis describere, recte iudicarunt, si religionis nomine intellexer theologiam poetarum ethnicorum, aut opinionum philosophicarum portenta. Sed nullo iure impietatis vel atheismi accusatur respectu existentiae et cultus veri Dei, quia nunquam alterutrum impugnavit. Henr. Dodwel de aetate Luciani agens

¹⁾ vid. Reitz. praef. pag. 4; ²⁾ ibid. ³⁾ pag. 7. ⁴⁾ pag. 10. ⁵⁾ pag. 21. ⁶⁾ pag. 32—33. ⁷⁾ pag. 33.

etiam hoc affert:¹⁾ Erat ergo tum etiam in Aegypto princeps ipse, sub quo commentarios publicos confecit Lucianus. Annus erat, ni fallor, aerae nostrae 202, quo persecutionem in christianos decrevit Septimius Severus et quo scripsit hac occasione in christianos „Philopatridem“ ipse Lucianus. (Reitzium contra sentire „Philopatridem“ non esse conscriptum a Luciano iam supra attuli.) Paulo post prosequitur: Et quidem mala illa christianorum mundi finem in dies expectantium de republica romana auguria, quae perstrinxit in „Philopatride“ Lucianus, causam persecutioni dedisse verisimillimum est, quae christiani nominis hostes pro argumento animi in patriam infensi alienique habuerint. Proferamus postremo nonnulla Reitzii ipsius verba de Luciano:²⁾ christianum, inquit, Lucianum quondam fuisse minime exputo; melius enim eorum dogmata scivisset, nec Iudaeorum ritus cum horum confudisset, ut qui illis sacerdotes et scribas Iudaeorum tribuat, in „Peregrino“ scribens: *Χριστιανῶν — τοῖς ἱερεῦσι καὶ γραμματεῦσι συγγερόμενος*. Nec adeo infensus fuit christianis, atque alii existimant; caritatem enim eorum mutuam in eodem „Peregrino“ vere praedicat morumque simplicitatem eorundem ita describit, ut quae se falli potius sinat, quam ut fallat; sed eosdem praestigiis ac superstitionibus tamen non falli se sivisse, sive studio, sive casu, sincere tamen agit, qui commemoret in „Alexandro“, ubi impostor christianos etiam arcebat suis sacris, veritus, ne hi facilius ipsius fraudes detegerent ac riderent; sed et idem atheos arcebat et epicureos, unde quidem nihil probatur, quod christianos ibi laudarit Lucianus, sed eius integritas tamen apparet: at Christum sophistam vocat idem in „Peregrino“, nec ego confugio ad excusationem Vossii, quasi id alterius nomine dicat, et quod etiam in bonam partem valeat illa vox; nam se nihili facere religionem christianam satis patet aliunde, et licet hoc doleam, non tamen magis miror in Luciano, quam in aliis auctoribus priorum saeculorum, qui multo peiora in hanc scripsere, et quos tamen ferinus ac propter alia utilia laudamus: quin sic verum videmus, quod Apostolus dixit, se annuntiare Christum, qui Iudaeis offensus, Graecis stultitia esset; cumque Iudaeos feramus, Christo, pro dolor! maledicentes, quidni hunc feramus, neque Christo, neque christianis maledicentem? Paulo post Reitzius affert se sentire Lucianum scepticum fuisse; sed haec hactenus.

Certum est Lucianum novisse Christianismi fundamenta, nam in „Philopatride“ invehitur in Trinitatem.³⁾ In dialogo illo Critias, ut supra iam narravi, a Triephonte admonetur, ne iuret per Iovem, nec per Apollinem, nec per Neptunum, nec per alium deum, per quos ethnici iurare solebant. Critiae deinde interroganti, per quem igitur liceat iurare, Triephton his respondet versibus:

*Ἵψιμέδοντα θεόν, μέγαν, ἀβροτον, οὐρανίονα,
 Υἱὸν πατρὸς, πνεῦμα ἐκ πατρὸς ἐκπορευόμενον,
 Ἐν ἑκ τριῶν, καὶ ἐξ ἑνὸς τρία,
 Ταῦτα νόμιζε Ζήνα, τὸν δ' ἠγοῦ θεόν.*

Hoc est: Iurare licet per illum Deum immortalem, in coelo regnantem, a Patre genitum ortumque et flamen ex Patre, per illum Deum, qui est unus in tribus personis et ex tribus unus; is solus est verus Deus. Critias non intellegens illud „unus in tribus“ et „ex tribus unus“, interrogat, num iusiurandum Triephonti sit arithmetica? At Triephton non hic agi de terrenis affirmat; se ei demonstraturum, quid sit hoc universum et quis sit antè omnia et quomodo universum sit compositum et constructum. Se enim in Galilaeum incidisse, calvum, nasutum, qui usque in tertium coelum per aëra ascenderit ibique mirabilia cognoverit, qui per aquam nos renovaverit, ab impiorum numero nos segregaverit, beatis adiunxerit.

¹⁾ pag. 41. ²⁾ ex eius praef. pag. 61, 62. ³⁾ tom. 9, c. 10—13.

In dialogis mortuorum auctor noster ludit unionem hypostaticam Christi. Diogenes¹⁾ ab Hercule quaerit, quomodo fieri poterit, ut Hercules moreretur, Iovis filius cum esset? Qui illi respondet, quidquid Amphitryonis in se fuerit, mortuum esse et ad inferos descendisse, quidquid autem Iovis, in coelum ascendisse. Duos ergo, Diogenes ait, Hercules fuisse, hominem et deum, conflatos in unum sicut Hippocentauros.

In libro „Philopseudes“ inscripto Lucianus ludit aliqua Iesu vel Apostolorum miracula.²⁾ Narrat enim in hoc libro Cleodemus quidam se hominem peregrinum, barbarum, Hyperboreum vidisse volantem, super aqua incedentem, per ignem gradientem; ab eodem daemones evocatos, mortuos in vitam revocatos aliaque mirabilia esse perpetrata. In eodem tractatu³⁾ auctor risisse videtur sanationem illam a Ioanne Evangelista c. 5, v. 8—9 his verbis narratam: Dicit ei Iesus: surge, tolle grabatum tuum et ambula. Et statim sanus factus est ille homo et sustulit grabatum suum et ambulabat. In „Philopseude“ autem exponitur, quomodo servus aliquis a serpente morsus, mirabiliter sanatus fuerit a Chaldaeo quodam, et deinde additur eum sublato grabato, in quo fuerit portatus, discessisse et rus abiisse. Crucem et quod ex ea venit auctor ludit in libello, qui inscribitur: „Iudicium vocalium“.⁴⁾ Litera Σῖγμα ream facit literam Ταῦ apud iudices Vocales, quod hoc Ταῦ vim sibi inferat seque ex omnibus vocibus pellere tentet. Non autem se solum, Σῖγμα perorat apud iudices, plorare inventionem illius Ταῦ a Cadmo factam, sed et homines ipsos esse contristatos illam ob causam; nam tyrannos figuram illius Ταῦ secutos cruces fabricasse, ut homines eis affigerent. Se ergo existimare illud Ταῦ poenam pendere debere in eodem ligno, cui ipsum nomen figuramque dederit.

Quid Peregrinus dixerit in rogam insiliens auctor paulo post commemorat.⁵⁾ Rogo accenso Peregrinus peram, pallium clavamque Herculeam deposuit et ture in ignem iniecto insiliit exclamans: Daemones materni paternique propitii me suscipite. Quis hoc legens non recordetur verba Iesu morientis: Pater in manus tuas commendo spiritum meum?

Iesus, ex hac vita discedens, discipulis dixit se eos non relicturum orphanos. His quoque verbis Lucianus in libro „de morte Peregrini“ usus est, referens⁶⁾ verba Cynici cuiusdam, quae ille fecit in Peregrinum moriturum; Peregrinum non fuisse vanae gloriae cupidum; eum in vita multa mala perpeccatum esse multaque bene fecisse; similem esse Iovi Olympio, ad quem nunc abiturus sit nobis relictis orphanis.

In libro secundo „verae historiae“ auctor ludit paradisi et terrae promissae gaudia, narrans⁷⁾ se sociosque rerum novarum cupidos navigationi se commisisse, in qua, cum multae res mirae sibi evenerint, tum ad insulam navem applicaverint, in qua prata, silvae, aves canentes, ventus suavis et molliter spirans, nemo senescens, dies nocte non interruptae, ver perpetuum, abores vitesque fructuosissimae, fontes aquae et mellis plurimi, fluvii lactis septem et vini octo sint. Coenant beati insulae incolae in campo Elysio, qui circumdatus est silva varia coenantibus unbram faciens — aliaque.

Peregrinum, Lucianus illud quoque refert,⁸⁾ epistolas misisse ad omnes fere urbes magnas et illustres, quibus earum urbium incolas admoneret ad bene vivendum, et ex sociis quosdam legatos designavisse, qui nuntii mortis suae essent quosque inferorum cursores nominaverit. Hoc narrans auctor ludit Iesum Christum, qui ex discipulis duodecim apostolos vel legatos elegit eosque misit in universum mundum, ut testes essent mortis et resurrectionis suae, evangelium praedicantes omnesque christifideles docentes et adhortantes sive per sermonem, sive per epistolas.

¹⁾ tom. 2, dialog. 16, c. 1 sqq. ²⁾ tom. 7, c. 13. ³⁾ ibid. c. 11. ⁴⁾ tom. 1, c. 1, 11. ⁵⁾ tom. 8, c. 36. ⁶⁾ ibid. c. 4—7. ⁷⁾ tom. 4, c. 5—15. ⁸⁾ tom. 8, c. 41.

Christianorum inter christianos itinera facientes caritatem auctor testatur, narrans¹⁾ Peregrinum in itineribus et erroribus suis omnia sibi ad vitam degendam necessaria a christianis abundanter accepisse usque ad illud tempus, quo neglectis christianorum legibus cibum prohibitum sumpserit. Qua ex re apparet certos cibos christianis fuisse vetitos, nisi forte hoc loco iudaei cum christianis confunduntur.

Peregrini cum christianis consuetudinem Lucianus exprimit, commemorans²⁾ eum, postquam patrem interfecerit, erravisse exulem vagumque et eundem in Palestinam venisse, ubi a sacerdotibus praecepta religionis christianae edoctus brevi tempore discipulos habuerit summumque locum inter christianos tenuerit. Eum multos libros et interpretatum esse et scripisse, quare illi eum legislatorem et antistitem creaverint. Christianos enim adhuc magnum illum hominem colere, qui in Palaestina crucifixus sit propter mysteria inventa et in vitam introducta. Peregrinum etiam comprehensum et in vincula coniectum esse, quare christianos captivitatem illius communem omnibus calamitatem existimantes, summis viribus, ut eum liberarent, studuisse. Qua in re cum haud proficerent, omnes ad portas carceris quotidie venisse vetulas, viduas, orphanos; illustriores autem christianorum magisque honestos carceris custodibus corruptis ad ipsum intrasse cibosque ei praebuisse nec non libros sacros cum eo legisse. Itaque captivitatem illi multum honoris dignitatisque attulisse, ita ut eum novum Socratem appellarent et etiam christiani in Asia habitantes legatos mitterent, qui eum adiuvarent, defenderent, consolarentur. Christianos enim summam alacritatem prae se ferre, si quid eiusmodi acciderit; eos nulli rei parcere, quare et Peregrino in vinculis et vinculorum causa magnae pecuniae suppeditatae sint. Credere enim christianos se fore immortales semperque victuros, quare mortem contemnant suaque sponte se occidendos praebeant; praeterea a primo illo legislatore eos esse edoctos se omnes esse fratres inter se, cum ad fidem illius sophistae cruci affixi transierint abnegatisque diis graecis eum adorent legesque eius observent. Reliqua omnia a christianis contemni et pro nihilo haberi; facile itaque esse homini fraudulento et callido christianos decipere et ab eis ditescere.

Christianos in Pseudomanti, de quo iam supra mentionem feci non habuisse fiduciam auctor testatur, cum narret,³⁾ multos viros prudentes paulatim fraudes et fallacias illius hominis sensisse et vidisse, ita ut Pseudomantis declararet Pontum esse plenum atheorum et christianorum, qui non dubitarent turpissima de se proferre mendacia. Tali modo Pseudomantis in christianos invectus populumque cohortatus est, ut illos lapidibus obruerent vel expellerent, si propitium deum sibi esse vellent. Quae cum ita sint, haud mirandum est, quod auctor addit, christianos a Pseudomanti cum mysteria faceret, e templo esse eiectos et his quidem verbis: Si quis atheus, aut christianus, aut epicureus venerit, fugiat; statimque expellebantur, quicumque illorum forte venerant, Pseudomanti primo clamante: Foras christianos, populoque deinde adiciante: Foras epicureos.

Lucianus christianismum contumeliis afficit: In Philopatride enim Triephontem inducit ad Critiam dicentem⁴⁾ se novisse Galilaeum quendam, calvum, nasutum et cetera verba, quae iam supra protuli. Deinde de Moyse, cum nox, inquit, et tenebrae essent, lux incorrupta, abscondita, non comprehensa tenebras illas pepulit uno verbo teste illo tardioris linguae homine; terram aquis tectam condensavit et arefecit; coelum extendit, stellis assignavit ordines et circulos, humum sparsit floribus, homines ex nihilo creavit; de coelo prospiciens animadvertit opera bonorum et malorum, pro quibus, relatis in libros, certa die

¹⁾ tom. 8, c. 16. ²⁾ ibid. c. 10 sqq. ³⁾ tom. 5, c. 25, 38. ⁴⁾ tom. 9, c. 12 sqq.

omnibus hominibus iusta retribuet. Critias deinde interrogat, num illa quoque in libros referantur, quae a Parcis neantur? Homerum enim dicere:

Μοῖραν δ' οὐ τίνα φημι πεφυγμένον ἔμμεναι ἀνδρῶν.¹⁾

Vel Iovem ipsum non potuisse arcere a filio interitum fatalem, sed fato subiectum

αἰματοέσσας δὲ ψαῖδας κατέχευεν ἔραζε²⁾


*παῖδα φίλον τιμῶν, τὸν οἱ Πάτροκλος ἔμελλεν
φθίσσειν ἐν Τροίῃ . . .*

Ad haec cum Triephton responderit Homero fatum praedicanti non esse credendum, poetas enim multa fingere, Critiae persuadet, ut omnia omittat, quae prohibere possint, quominus ipse in coelestibus libris bonorum inscribatur. Multos ergo, Critias contendit, scribas in coelo opus esse, si omnia inscribenda sint hominum opera. Hoc esse procacius dictum in sapientem Deum, Triephton ludit; si Critias velit vivere in aeternum, eum audire et parere oportere sicut unum ex catechumenis. Deinde ei explicat illum Deum, qui coelum expanderit ut pellem, qui terram super aquas fundarit stellasque fecerit, nec non hominem ex illis, quae non fuerint, formarit, facile omnium hominum in libros posse referre facta. Critiam ipsum, si forte servos nonnullos mercede conduxerit, ne ullam quidem eorum actionem praetirire; Deum ergo, qui omnia fecerit, omnino nihil fugere posse eorum, quae ab hominibus fiant vel animo agitentur. Paulo post Critias Triephonti promittens se ei nihil mali esse illaturum, illud promissum profert his utens verbis: Ita me filius, qui ex patre est, amet, ut istud non fiet. Triephton deinde illum exhortans, ut sibi enarret sermones illos, quos a sophistis audiverit et a quibus colloquium eorum initium ceperat, ad eum ait: Loquere, acceptum habens a Spiritu sermonis virtutem. Qua exhortatione commotus Critias narrare incipit, quomodo inductus in conventum hominum vultibus in terram versis pallidisque, audiverit eos vaticinantes plurima mala civitatem invasura eosque dixisse se post ieiunia decem dierum, quibus pervigiles cantibus noctes perducant, talia somnare. Dicendi finem facit in Philopatrīde Triephton his verbis: Nos vero ignotum, qui est Athenis, deum, quem invenimus, adorantes, manibus in coelum sublatis eidem gratias agemus, quod digni ab ipso habiti sumus, qui tam excellenti potestati subiecti essemus. Reliquos autem nugari sinamus.

Et ego, finem quoque dicendi vel scribendi faciens, hoc adiungo:

Quibus Lucianus christianos reprobat, et hodie reprobamur; ille sagacitate et arte, nostrates rustice et inepte.

¹⁾ Hom. II. 6, 488. ²⁾ II. 16, 459 sqq.



omnibus hominibus iusta
referantur, quae a Parcis

Μο

Vel Iovem ipsum nor

αιρ

πα

φS

Ad haec cum Trieph
poetas enim multa finger
quominus ipse in coelesti
scribas in coelo opus esse,
dictum in sapientem Deum
et parere oportere sicut un
expanderit ut pellem, qui
ex illis, quae non fuerint,
Critiam ipsum, si forte ser
praetirire; Deum ergo, qu
fiant vel animo agitentur.
illaturum, illud promissum
ut istud non fiet. Trieph
sophistis audiverit et a
acceptum habens a Spiritu
incipit, quomodo inductus
verit eos vaticinantes plu
dierum, quibus pervigiles
in Philopatriade Triephor
invenimus, adorantes, ma
habiti sumus, qui tam ex

Et ego, finem quoque

Quibus Lucianus ch
nostrates rustice et inept

1) Hom. II. 6, 488. 2)

num illa quoque in libros

ινδρω.1)

alem, sed fato subiectum

λεν

licanti non esse credendum,
tat, quae prohibere possint,
ltos ergo, Critias contendit,
opera. Hoc esse procacius
ere in aeternum, eum audire
icat illum Deum, qui coelum
ae fecerit, nec non hominem
n libros posse referre facta.
ullam quidem eorum actionem
sse eorum, quae ab hominibus
ittens se ei nihil mali esse
lius, qui ex patre est, amet,
narret sermones illos, quos a
erat, ad eum ait: Loquere,
ne commotus Critias narrare
ram versis pallidisque, audi
dixisse se post ieiunia decem
nniare. Dicendi finem facit
ui est Athenis, deum, quem
s agemus, quod digni ab ipso
eliquos autem nugari sinamus.
diungo:

mur; ille sagacitate et arte,



